

den, nacher Zurzach Verschikht, dem Vyten [=NN **Vitte**]<sup>2</sup> eingantwortet worden.

dass ein Jnventarium habe der Zankher [=Zangger?, von Einsiedeln] herfürgethon, dannen erstlich die Kondtschafft verhört. Hernacher habe Zankhers Veter dass nachgehndere herfürthon so uss Burgund khommen:

Rechnungbüecher vorm halben Jahr: sidthero erst Vor 2 Monaten da dess Müesslis Fr[au, Maria Magdalena **Mutschli**] dajnnen gsyn, dem schuldenkheuffer Zankher übergeben: dise Rechnungbüecher hat Peterli schon anfangs, nach dem Arresten ... der büecheren begärt aber Cantzler alzyt abgschlagen nach luth der kondtschafft".

1) s. Zurlaubiana AH 140/72 spez. Anm. 1

2) s. ebenda AH 140/93

---

AH 140, 161

## 78

[1648], Zurzach

A

SCHREIBEN VOM [DEKAN IM FLECKEN ZURZACH], F[RANZ] K[ARL]  
B[RANDENBERG], [AN DEN PFARRER VON OBERRÜTI, JOHANN JAKOB  
STOCKER]

Gehört zu AH 140/142

---

"Si dignitatem, vocationem, finem, scopum ac professionem sacerdotij (.ut vocant laici.) accuratius examino, non sine gemitu fateri cogor, à nullo statu minus vocationi suae responderi, quam isto; sacerdotes enim à E[pisco]po & Eccl[esi]a constituti sunt, ut Apostolico Spiritu Zeloque, peccatores convertant, relig.<sup>m</sup> Catholicam, Dei gloriam eiusque cognitionem, amorem & cultum promoveant, virtutes calidas, & Christianae perfectionis, omnisque pietatis devotionem ac studium propagent, undè etiam pastores nuncupantur; & non ob id saeculares sacerdotes, quod saecularium hominum vulgari vita vivere, sed quod in seculo eorundem, ceu tutelares quidam Angeli salutem quaerere et conservare debeant. ...<sup>1</sup> hic est finis omnium Collegiorum, Seminariorum, Congregationum ac Oratoriorum, quae S. Philippus Nereus [=Neri - dieser hatte 1552 die Kongregation der Oratorianer gegründet -], & inprimis vir ille Apostolici Spiritus plenus Carolus [Borromeo, der 1576 das Collegium Helveticum in Mailand gegründet hatte] noster beatissimus Pontifex, hoc novissimo saeculo perfectionis Ecclesiasticae et pastoralis sollicitudinis instaurator, instue-

runt, suisque alumnis & Sp[ir]itu[al]ibus filijs unicè prae oculis esse voluerunt.

Quam verò parùm in germania nostra talis à sacerdotibus apprehendatur finis & obligatio, nemo non videt: quis enim hunc finem accuratiùs expendit? quis & alta mente retinet? quis ille, qui ad eum se obligatum vi vocationis & officij sui ex animo credat ac certò sibi persuadet? plerisque sat esse videtur sacerdotem fieri, dummodò scientia quadam triviali ac superficiali ad sacramenta ministranda polleant; & si quid sublimioris scientiae consequuntur, id eo vertunt, ut hominibus placeant, ut ab hominibus aestimentur & commendentur, in eoque foelicitatem quarunt, ut admirabiles facti Titulos, magnos honores, dignitates & humanos favores aucupentur; non ut Deum atque gratiam ipsius in intimo animae suae sentiant ac spiritu, Deoque & Ecclesiae magno cum fructu prodesse possint, adeoque sicut in nullo statu tam parum finis et obligatio observatur, ita quoque in nullo, vita à professione, mores ab instituto, effectus ab obligatione tam longè distant, quam in sacerdotali. Vah quotusquisque nostrùm est, qui aliqualem Ecclesiasticae disciplinae industriam, ac vitae Spiritualis perfectioni studium impendat! Sed quia hoc non fit; nullum divini spiritùs sensum ac gustum percipimus, nullus in nobis verus Dei, deque gloriae & honoris, atque orthodoxae religionis, ac animarum pretioso Dei filij [Jesu Christi] sanguine redemptorum Zelus & Cura, nullam alicuius solidae virtutis Cognitionem & ...<sup>1</sup> habemus, nullam charitatem, nullam prorsus calidam pietate! Sed mera functiones n[ost]rae tepiditas, & negligentia, meraque vecordia & ignavia, frigent o[mn]ia, o[mn]ia languent, sordent omnia terrenis, affectus noster temporalium rerum aestimationes desiderio, sollicitudine & amore corrumpitur, plùs affectamus commoda temporalia, quam sp[ir]itu[al]ia lucra, ijsque distrahimur & occupamur, plùs cordi & Curae nobis sunt ampliores proventus, pinguiora beneficia, proprium interesse, quies & otium, quam salus animarum, ac Dei gloriae promotio, malumus gratiam habere cum Mundo, quam propter Zelum domùs Dei quantillum cum D. Jesu pati, & persecutiones tolerare; quia mundi respectibus ducimur, hominibus enim placere malumus, quam Deo, nemini displicere, neminem prorsus offendere; ad excessus, ad crimina, ad vitia carpenda, emendaque caecutimus, connivemus, dissimulamus, obmutescimus: Cum Dei honor Eccl[esi]astica Jura, Justitiae, Veritatis, Religionis Catholicae causae veniunt in discrimen, politicis potius rationibus aures praebemus, quam divinis, si quis Dei gloriam, Justitiam, Veritatem, sinceritatem, con scientiam suggerit, aut è scriptura r[at]io[n]es adducit, irride uti phanaticum nimium Religiosum timidum, scrupulosum, argui si quis sacerdotum religiosius in saeculo vivere, aut contractiorem vitam agere coeperit, uti singularis hypocrita, pharisaeus, aut novator quidam sectarius

*fit suspectus: summa o[mn]nes quae nostra sunt, quaerimus non quae Jesu Christi: quicquid à nobis circà munus Ecclesiasticae professionis geritur, plerùmque coactè, invitè, superficialiter, perfunctoriè, fucatè, aut ex consuetudine solùm, quasi caerimonia & complemento fieri videtur, non autem ex interno principio & radice Charitatis, seu motivo divinae Gratiae. Et cotidiana item conversatione, Negotiatione, confabulat[ion]e commessat[ion]e collusione cum saecularibus nostri ac Nostrae dignitatis, obliti, similes illis evadimus; undè & status noster, quod vitia sic nostra defectusque avaritae &c. ...<sup>1</sup> illis patefiant cum scandalo, despicitur, ac dignitas vilescit, ad nihilum enim valet sal infatuatum, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

*Vitia reliqua in particulari, ut paucis vel praeteream, vel perstringam; quam plurimi, sicut à parentibus in omni vanitate, rerum temporalium affectibus & petulantijs educati; atque in studijs Academicæ libertatis ac privilegiorum praetextu, in armorum gestatione milites, in habitu moribusque aulicos, lenones ganeones in Instru-  
mentis musici & muliebri conversatione; procos ac porcos in comessationibus etc exhibent: Jta in elect[ion]e status sacerdotalis, non maiorem Deij gloriam Ecclesisticae disciplinae studium, nec vitae spiritualis & perfectionis desiderium, animarum salutem, deque sincerum famulatum, sed Otium, voluptates daelicios, honores, dignitates Titulos, dominium, opes & libertatem pro scopo & fine proponunt, undè & nunc in sacerdotio disciplinam omnem, & Jugum perfectionis vitae aspernantes, non monachos se, sed sacerdotes saeculares esse respondent; ac propterea ad nihil amplius, quam laici tenerise existimant; sed è heu nimium saeculares, vita frequentius deteriores suis subditis, in verbis, moribus, habitu, vultu, conversatione, concionibus, avaritiam, ambitionem, fastum arrogantiam, policismum, vanitatem, gulam crapulam, libidinem, venerem faeminiarum & praesentis saeculi, amorem spirantes.*

*Ecquis obsecro hinc fructus! quid boni de talibus Speret Eccl[esi]a! quomodo virtus plantaretur ab imperito, aut invito plantatore, qua ratione vitia exterminarentur à vitioso, pravo, corrupto, vitijs enutrito, & scandolo sacerdote! Mirum hinc non est, si mundus totus depravatus & corruptus, si nulla pietas, nullus rerum divinarum ac spiritalium gustus, ac sensus, si nullo in populo cognitio & aestimatio Dei gratiae, et meriti virtutum, si nulla appetitûs sensitivi mortificatio, nullaque in actionibus intentionis bonae formandae cura & peritia, nulla futurorum & novissimorum, et alterius vitae cogitatio, si nullus Dei timor & reputatio, si vitiorum et peccatorum & novissimorum & alterius vitae cogitatio, si nullus Dei timor & reputatio, si vitiorum & peccatorum horror nullus & abominatio, si nulla fides ac religio, nulla charitas & misericordia si nulla pie-*

*tas ac devotio, reperiatur, sed potius omnes vanitatibus, lucris, ac temporalium cupiditatibus brutorum more immersi deprehendantur; quoniam ex ignavia & inertia seu negligentia pastorum antequam senum fervor sensim intempescit, & evanuit, Juniores autem ut é tepidis incultis ignavis & ignaris oriuntur, ita in animi sterilitate, ac barbarie spirituali divinorumque insensibilitate educantur, & obbrutescunt.*

*Et licet pluribus locis, multae reperiuntur animae, virtutum & omnis spiritualis eruditionis capaces, adque omnem pietatem inclinatae, sterilescunt tamen ex unico defectu cultoris, in his enim nihil desideratur aliud, quam boni pastoris fervor, Zelus, ac fidelis instructio, quomodo autem pastor docebit si ipse incultus nesciat quae specie sit et vita spir[itua]lis aut ipsum taedeat talium rerum exercitio ac doctrina occupari, ...[?]<sup>2</sup> terrena magis sapiunt quam divina. Undé meritó hic applicanda sententia prophetae: parvuli petierunt panem etc., non erat qui frangeret os: Jta verè iuxtà oraculum d[omi]ni. Messis quidem magna est operarij autem pauci, rogate ergo d[omi]n[u]m messis, ut mittat operarios in messem suam, pios, ferventes fideles & infractos. O quantum sacerdotibus, praesertim parochis reservatur Judicium! qui otiosi talenta defodimus: non operamur dum tempus est. qui ...[?]<sup>3</sup> pascimus, qui ovium lac comedimus, et lanis eorum operimur, quod crassum est occidimus; at quod infirmum non consolidamus. quod aegrotum non sanamus, quod confractum non alligamus, quod abiectum non reducimus, quod perijt non quaerimus Speculatores constituti sumus gregis dominici; igitur quam malé sibi, quam malé praesidet alijs, qui non videt! ridicula res, an periculosa magis speculator caecus! plangendus est an ridendus doctor inscius Praecursor claudus, praelatus, negligens, praeco mutus! ait [der Kirchenlehrer] **Origines**; error hic ignorantiae, an malitiae! cum ad ni[hi]l ultrà plerique obligari se credant, quam horas Canonicas, aliosque Ecclesiasticas functiones, simplici et materiali modo persolverint, si in com[mun]i vitia de cathedra tangant, virtutes obiter memorent, undique satisfactum credunt; è quo sordissimus ille mercenariorum affectus apparet, quod eiusmodi rarò plus, facere velint quam debere se putent, contenti o[mn]es, ut ea tantum ad quae obligantur, utcunque faciat in eo valdè industrij ut calleant, quantum deficiet liceat & negligere, citrà peccati mortalis labe. sic miseri non percipiunt, quam periculosé ambulent; atque securi nimium undique se satisfacere credunt, non considerantes, superius enumerata Prophetæ verba: Undè pariter & populus absque timore ducit in bonis dies suas secure non minus, quam hilariter agunt, benè se vivere autumantes ad ignaviam et vanitatem suam pastores suos connivere, imo simili exemplo praeire videntes. cum longius aberrant, ac cum tumore ac timore dei salutem suam operari deberent sollicitè.*

*Praestat audire [den Kirchengvater] Augustinum qui ait: Non omnis ignorans immunis est à poena; ille ignorare potest excusari, qui quod disceret, non in...nit<sup>4</sup>, illis autem ignosci non poterit, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt.*

*Unde S. Gregorius [von Tours]: Nos inq[ui]t sacerdotes vocamur, super ea mala, quae propria habemus & alienos quoque mortes addimus, q[ui]a tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi et tacentes videmus. Praeterea ait: Causa sunt ruinae populi sacerdotes mali, quis enim se pro peccatis populi intercessor obijciat, si sacerdos, qui orare debuerat, graviora committat! Unde non temere iudicare eum dixerim, qui causam tantorum bellorum, ac divini furoris flagellorum, in solos sacerdotes coijceret, si quidem & haereses & Infiniti errores, ut & gravissima peccata, vitia scelera pastorum & sacerdotum ignavia, vecordia, negligentia, malo exemplo, scandalo, dissimulatione conniventia ac permissione (.dormientibus nim: hominibus venit Inimicus & superseminavit Zizania.) pullularint, quod nimirum pastores verbo & exemplo, ac spiritu Zeloque domus dei contra vitia, se non apposuerint. superiores pro animadversione non requisierint, sed ipsi cupiditatibus & maldedicto Palicis Spiritu [wohl Anspielung auf die griech. Sagengestalten der Palici], temporaliumque amore corrupti facti sint in laqueum, in ruinam, & in scandalum aliorum; unde sicut populus, sic sacerdos male mulctatus, quia sicut populus sic sacerdotes pessime vixerunt.*

*Horum, & hactenus dictorum consideratione periculosissimus apparet Status sacerdotum; adeo ut non pauci de salute in tali statu & communi vivendi more sacerdotum diffisi monasteria petant & Religionem; taeduit & animam meam vitae talis, non minori timore correctam, ac metu in tali vita damnorum: adeo ut non semel optarim in sylvis & antis inter feras latitare, aut arctissimis monasterij septis occultari; cum autem certis quibusdam compedibus in media me Babylone deus astrinxerit, id unicum superest solatium, etiam in saeculo religiosam & perfectiorem vitam deo dante, etsi difficilius, duci posse; eoque magis consolatione suffundor, et ita voluntatem d[omi]ni esse confido, quod videam deum & Ecclesiae Necessitates, in saeculo plures serventes postulare sacerdotes, ut nec liceat, nec lubeat monachari, quin potius Zelo dei pleni è coenobijs monachi sint producendi, ad occurrendum miserimo Mundo, plenis velis & remis, ad Orcum contendenti.*

*Et certo mihi persuasum est sacerdotes in saeculo, ferventiori studio connatis viribus & mentibus, plus aut aequè multum Ecclesiae, & Mundo reparando prodesse posse, ac ullus è religiosis ordinibus, praesertim cum etiam perfectè ac religiosè in saeculo modò velint, vivere possint, cum spontaneis & voluntariis plerumque ferventiores deoque gratiores sint, quam coacti. Et hanc sententiam non è proprio*

*confinxi cerebro, sed ex ore cuiusdam tùm doctrina tùm virtute prae-stantissimi religiosi, ceu quoddam oraculum sustuli. qui & addidit, Clericos saeculares, praesertim pastores proprijsimé & ex officio à Deo destinatos esse ad reformandum saeculum; & ab eorum bona vel mala vita, ferventi vel tepido Spiritu, totius Ecclesiae profectum vel detrimentum pendere; religiosos autem, quod ad contemplativam vitam vocati, tametsi plurimum doctrina & exemplo conversioni hominum adlaborent, eos tamen ...<sup>5</sup> minus fructificare, ...<sup>5</sup> ad hoc ex officio non sint ordinati proelium pastorale exemplo id explicavit hystorico, quemadm[odum] ait, **Josephus** et **Azarias** Sacerdotes 1 Mach. [=Mak-kabäer] 5 dum volunt fortiter facere dicentes faciamus & ipsi nobis Nomen, & eamus pugnare adversus gentes, dum sine consilio exierunt in praelium cum ignominia & foeda clade caesi sunt, ipsi enim non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Jsraël: sic ait, Religiosi per se et ex officio non sunt de illo aestu per quos Mundus (.quorum ignavia, Tepiditate, & scandalo corruptus, et in tantas lapsus est haereses) reformari debet. Praetereà subdit: Religiosos saecularibus hominibus aliquantulum peregrinos, raros, & ob reverentialem quendam horrorem minus esse acceptos: saeculares autem sacerdotes in multis ijs similiores, et quia continuò inter eos demorentur, quotidie cum ijs conversentur, ut familiariores, ita etiam gratiores esse sacerdotibus, adeòque si vitae sint inculpatur & exemplaris, plus unico verbo perficere, quam religiosos integro sermone, eorumque virtutes ac spiritum per quotidianam conversationem sanctam in sensibiliter & veluti cum aëre in mentes hominum influere*

*Cum igitur omnes status & ordines ac religiones aliae reformatae respectivé per quam bené floreant, sola verò sacerdotij saecularis conditio, (.cuius tamen dignitas & professio, ob eminentissimas functiones, omnium praeclarissima) misserime deformata, collapsa, corruptaque à primaevo fervore defecerit, adeoque despecta ita & vilipensa sit, ut abiectissimi quique tantum divinis officijs mancipandi videantur, et plerique rem indignam existiment, si eximiâ doctrinae, ingenij familiae, aut aliorum talentorum naturalium laude praeclari sacerdotio initientur; Deo gratissimum fore confido, si & ...atus<sup>6</sup> peculiari quadam & suavi ratione reformetur, spe bona, iuxta Vocationem praeuberrimos[?]<sup>7</sup> fructus Ecclesiae pariturus.*

*Quod quidem optimé fieri posse reor isto modo et ratione: Si nimirum ferventiores, quidam sacerdotes coniunctis animis Congre[g]ationem Sacerdotum seu Pastorum instituant, sub Patricinio S. Caroli, aut **Josephi** sivè **Philippi Nerei** vel alterius sancti. sub auspicio & protectione ill.mi & R.mi D[omi]ni Episocpi ordinarij [des Bischofs von Konstanz, Franz Johann, Vogt von **Prassberg-Summerau**], idque Sponta-*

nea quadam oblatione, & certis constantem pietatis ex exercitijs, & conductis illorum conventibus; quarum institutum & Professio sit, ut fratres RR d[omi]ni Congregationis, primo in se perfectionijs disciplinae iugum suscipiant, atque in scriptis discant experiantur, & à d[omi]no deo acquirant, quae postea alios doceant, & in eos influant: cuiusmodi congregationes Germania inferior iam plures habet; Praeter Galliam Italem & Hispaniam; quemdam Marcantius perpulchram Orationem aut sermonem ad ipsas composuit & Franciscus Bourgoineus [=Bourgoing] S. Oratorij presbyter lignum vitae suam, cum insigni praefatione ad easdem.

Author autem & fundator primarius haud dubié est S. Carolus Archipontifex Mediol[anensis] Borromaeus. cuius exemplar in suo tam Nobili & nunc satis laudato Collegio Helvetico Mediolani, ad hunc solum finem erexit, ut sacerdotarientes pastores futuri Ecclesiasticae disciplinae, & pastoralis curae spiritum una cum studijs litterarum paulatim imbiberent.

Quae vero Spiritualia subsidia, quamque uberes fructus (:ait memoratus Ven[erabilis] presbyter Franciscus Bourgoineus.) ipsis pastoribus, & populo, ex tali instituto perveniant experti praedicare possunt; & alios exemplo suo, ad aemulationem accendere; at non experti credere, ac certò sibi persuadere debent vix alia meliori ratione antiquum in Clero fervorem renovari posse, & pastorale officium verè Apostolicum spiritu sicut decet Apostolico exerceri, quam si non dico in unaquaque dioecesi, verum in singulis decanatibus pastores & sacerdotes Societatem meant ad invicem, & spirituales, stans diebus, tum ad vitam sancte instituendam ...[?]<sup>8</sup> normam Ecclesiasticae perfectionis, tum ad officium dignè exercendum, collationes habeant.

Qua propter Magnificam Dom.<sup>m</sup> V. humillimè per dei gloriam & animarum salutem; (quarum Zelo ardere ipsam scio) obtestari volui, ut me & alios hac ipsum sentientes & cogitantes, in tali proposito suscipere, fovere, adjuvare promovere ac protegere dignetur, casus Regulas ac leges, quas simul per tali congregatione transmisi, recognoscere, censere, corrigere, augere vel minuere velit & ad Jnterim ratificare: hac enim ratione, suavissimo ac tolerabili modo consequemur finem illum, quem P: doctor Jeger [=Jäger], & alij mentis ipsius asseclae, difficillimo alio instituto & Ecclesiastico saeculari statui spectatis omnibus circumstantijs, poené impossibili, intendunt; Oti-um enim & avarita, libidinis occasiones a...[?]<sup>9</sup> o[mn]nes, prout è legibus Congregationis constat; penitus è ...<sup>10</sup>.

Humiliter ergò gratiam istam peto, ut placitum Magnificae suae ad minus, & Jnstituti huius ratificationem in scriptis (.si fieri potest, speciali Patenti.) remittat; quo legentes ad suis Jnstitutum

*quantocius eoque facilius & foelicius inclinentur. Deum O.<sup>m</sup> Maximum rogantes, qui seminator boni consilij est, ut ea quae ipso inspirante concepimus, et in nobis operatus est, confirmet, eoque adiuva[re?] adimplere valeamus. ...".*

"ignoscat liturae, raptissimé enim scribendum fuit."

Nach dieser Glosse von unbekannter Hand finden sich auf einem auf Blatt 163<sup>v</sup> aufgeklebten Zettel noch folgende vom Stabführer der Stadt Zug, **Beat II.** Zurlauben, stammende Dorsualnotizen:

"pertinet ad R.D. [Johann Jakob] **Sto[c]ker** parochi in Rütin [=Oberrüti, einer Kollatur der Stadt Zug].

betrifft ein Nüwe vorgeschlagne congregation, und reformation under der Priesterschaft [u.a. in der Stadt Zug] A.º 1648:"

1) *Das vorausgehende Wort ist zerstört.*

2)

3)

4) *Das vorausgehende Wort ist teilweise zerstört.*

5) *Dieses Wort ist nicht mehr eindeutig lesbar.*

6) *s. Anm. 4*

7)

8)

9) *s. Anm. 4*

10) *Die 2 voranstehenden Wörter sind nicht mehr eindeutig lesbar.*